

4. Causa cognita & audiri interesse habentibus, consensus dare debent Episcopi.
5. Regulares aliorum Ordinum in eodem loco existentes audiendi.
6. Locorum Incolae audiendi.
7. Hac conformia moribus Belgicis.
8. Expendendum num Incolae sufficientes sint novis & antiquis intercedendis.
9. Ecclesiarum Parochialium Aeditui & Pastores audiendi debent.
10. Multiplicatio Monasteriorum nocere potest Ecclesiis Parochialibus: & quo ex capite?
11. Jam pridem Principis consensus expetitur.
12. Hic etiam hodie necessarius est.
13. Moribus nostris in admissione novi Conventus adjecti solent varia modificationes.
14. Modificatio adjecta admissioni PP. Societatis in Galham & Belgium, de non prejudicandis juribus Ordinariorum & Parochorum.
15. Hae clausulae solent in omni passim admissione addi.
16. Varias modificationes adjecta admissioni PP. Oratorii ad Urbem Rothomagensis.
17. Varias conditiones adjecta per Concordata inter Parochiam & Regulares in admissione Conventus, quoad iura Parochialis, & celebrationem Divini Officii.
18. Interdum modus adjectus facultati quaerendi, & numerus admittendorum Fratrum limitatur.
19. Restringitur facultas recipiendi temporalia eorum qui Monasterium ingrediuntur.
20. In omni passim Regularium admissione hujusmodi modificationes & restrictiones adjecta fuerunt.
21. In admissione novi Conventus merito examinatur, num disciplina Regularis in Ordine illo vigeat.
22. Sacra Congregatio interdum suspendit receptionem Novitiorum ob collapsam disciplinam.
23. Rex Gallie aliquando instituit ut non admitterentur Novitiis nisi pristina disciplina esset restituta.

Lacuit (ait Synodus Chalcedonenis *Can.* 4.) nullum quidem usquam edificare, aut construere Monasterium vel Oratorii domum, praeter conscientiam civitatis Episcopi.

Est antiquus (inquit Lupus ad dictum Canonem) at qui apud Orientales in dissuetudinem abierat, Canon. Etenim hac Synodo dudum prior Sanctus Augustinus nullum in Africa Monasterium constituit, nisi de licentia Episcoporum. Causam scribit S. Ivo Carnot. Episcopus in litteris ad Gostredum Abbatem Vindocinensem: *Omnia traditio Religionis novitate ac raritate vigeat & floreat; antiquitate & numerositate, nisi districte iugetur & servetur, frigeat ac vilescit.* Genus multiplicatio letitiae magnificationem quandoque subvertit. Quocirca non nisi sub Episcopali oculo & examine congruit monasteria multiplicari.

II. Haec disciplina hae nostris temporibus magis necessaria est eo titulo, quod Monachi sive Religiosi praesertim Ordinum Mendicantium hodie amplius, quam olim hierarchicis functionibus applicentur; imò tamquam Episcoporum & Pastorum copiae auxiliares reputentur. Ordinariorum quippe est (uti bene advertit Zypaeus *Tit. De Regul.* 23.) in ea statione quemque collocare, quam non admittendorum commoditas, qui non sibi, sed ovibus pascendis opportuna quaeritur veniunt, sed salus populi ab eo requirit.

III. Quapropter canonicam hanc disciplinam injuria temporum collapsam renovare haud dubitavit Synodus Tridentina *Sess. 25. De Regular. cap. 3.* statuens. Ne de cetero ulla Monasteria seu mulierum erigantur sine Episcopi, in cuius Diocesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

IV. Hujus saluberrimi Decreti executionem plures Romani Pontifices editis Constitutionibus traserunt; atque in-

ter ceteros Clemens VIII. in Constitutione quae incipit *Quoniam ad institutum* 99. in Bull. Rom. Atque insuper addit, Locorum Ordinariorum non posse licentiam ad novitates, & locis ordinariae eorum jurisdictioni subiectis erigendos in partem, nisi vocatis & auditis auctoritate in illis dem civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita contulerit, in illis dem civitatibus & locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.

V. Uti ait Zypaeus, novis admissionibus gratificatio fieret, ut veteribus penuriam, egestatem & famem non ingereret.

Hanc Clementis Constitutionem Paulus V. anno 1618. observari injunxit Episcopis Belgii, litteris ad eos datis, ait Zypaeus *Tit. De Regular. n. 35.* eamque innovans Gregorius XV. per Bullam quae incipit *Cum alias* 31. in Bull. R. addit, Ne de cetero ullum Monasterium aut domus cuiuscumque Ordinis aut Instituti de novo erigatur, nisi in eo duodecim saltem Fratres, aut Monachi seu Religiosi inhabitent, ac ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant, ac Priores seu Procuratores aliorum Monasteriorum, non solum in praedictis, sed etiam in aliis per quatuordecim passuum circumvicinis locis, ad id vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alius Ordinaris locorum consulerit, Religiosos Monasterii vel Conventus, sic erigendos, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis seu Conventibus antea in civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium: ubi in numero duodecim commode & congrue manuteneri & alii posse.

VI. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio vel Societas hujusmodi instituenda erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum (pergit Gregorius XV.) nihilominus diligenter inquirent, an locorum Incolae & habitatores, quorum & consensus requirantur, adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut praemittitur, instituendos, commode alere & manuteneant.

VII. Haec omnia & Belgicis vicinarumque Provinciarum moribus consona sunt. Neque enim novi Conventus aut Domus Religiosorum, praecipue Mendicantium solent admitti, nisi prius auditis Conventuum, Domorum, & Congregationum Regularium, signanter Mendicantium praesistentium Superioribus aut Procuratoribus, atque insuper Incolis loci, in quo de novo conventus aut Domus constituenda est.

VIII. Expendere debemus (ait Carolus Fevret. *Tract. De Abusu lib. 2. cap. 1. §. 10.*) num Conventus, quorum nova constructio praetenditur, sint dotati, & utrum civitates sint ample & abundantes, ut queant & novis & antiquis Conventibus sufficere. Nam in parvis civitatibus recipere multitudinem Conventuum Fratrum Mendicantium, est extrahere panem de manibus pauperum, & suffocare vitam pietatem per novam; oportet sanguinis extrusionem attemperare viribus aegri, efficereque ne pietas in quandam degeneret in humanitatem, mendico suum auferendo panem, ut alteri detur.

IX. Praeter locorum Magistratum & Incolas, qui in Corpore, ut ajunt, congregati, novi Conventus seu Domus constructioni consentire debent, insuper audiendi omnes interesse habentes, ut loquitur Clemens VIII. in praecitata Constitutione.

His imprimis accersendi sunt Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Magistri.

Ecclesiae Parochiales sunt pristinae, & primitus constructae Ecclesiae; ac per consequens, ait Carolus Fevret. loco citato §. 11. praecipue earum interest; quia populus inefectus novitate, facile abstrahitur ab ea assidua frequentatione, quam Ecclesiae Parochiali tamquam matri, quae eos per Baptismum genuit, debent. Tantum autem Parochiali Ecclesiae decrevit, quantum diminuto con-

cursum accedit aliis. Quapropter, cessante necessitatis causa, non debent novae Ecclesiae & Monasteria in praedictum Ecclesiarum Parochialium edificari; uti post Glossam in *Cap. 1. De Novi operis nunt.* Tradit Panormitanus ad *Cap. 1. De Aedificand. Eccles.*

X. Quantum Parochialibus Ecclesiis, quae olim maxime floruerunt; & in quibus extruendis ac dotandis Fidelium avita pietas eluxit, Fratrum Mendicantium similibusque Religiosorum multiplicatio detraxerit, Parochiae ubique penes dejectae ac collapsae fat superque testantur.

Porro hanc Parochialium Ecclesiarum collapsionem atque egestatem provenire a neglectu frequentationis; atque ex eo quod populus ad alias Ecclesias & Oratoria divertat, jam pridem advertit S. Carolus: qui ut populum ad frequentationem Ecclesiarum Parochialium incitaret, incommoda ex neglectu frequentationis profluentia recensens inter alia dicit: Hinc Ecclesiis Parochialibus, quae a Majoribus tanto pietatis studio exaedificatae sunt, instaurandis, ornandis, satis rectissime habendis cura multis ex partibus neglecta, in illisque nulla penes aut exigua Ecclesiastica ad divina officia obeunda suppellex.

XI. Principis quoque consensum jam pridem expetitum fuisse, probat Epistola Pepini Regis Francorum ad S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, in qua loquens de quodam Monasterio, quod Bonifacius de novo construi jussit in *solitudine Buconia* juxta flumen Fuldae, haec habet: Sicut ex auctoritate sancti Petri Principis Apostolorum pro quo legatione fungeris, privilegio Sedis Apostolicae sublimatum constat esse Monasterium, a te noviter constructum, ita etiam nostrae auctoritatis praecipio quod actum est, laborari convenit.

XII. Si modernam Belgii & Vicinarum Provinciarum disciplinam spectemus, nullus novus Ordo admitti, aut novum Monasterium construi sine Principis licentia potest.

Ludovicus XIII, Rex Galliae, edicto die 21. Novembris 1629, & 13. Decembris sequenti per Parlamentum Parisiense probato, vetuit, ne quodcumque Monasterium, domus aut conventus Regularium sive virorum sive mulierum in quocumque loco aut civitate sui Regni, etiam Ordinis jam ante recepti & admissi, construat, sine expressa licentia Regis per litteras ab uno de Secretariis Status signatas, & majori Regis sigillo munitas; ut Rex iudicare queat de praedicta constructione, & juxta circumstantias decernere, quibus in locis & civitatibus talis nova constructio admittenda sit pro fidei & Religionis Catholicae augmento.

Et Carolus V. in ordinatione die 19. Octob. 1520. vetuit, in Brabantia novas Ecclesias aut Capellas edificari, sub poena aedificandi infigenda & demolitionis.

XIII. Illud quoque notoria praxi & moribus nostris receptum est, quod Senatus Regii in expeditione litterarum, quibus novas Religiones, aut Conventus admittunt, solent adhibere varias condiciones & modificationes, prout, auditis quorum interest, & expensis privilegiis ac legibus Patriae, Ecclesiae & Reipublicae expedire judicaverint.

XIV. Parlamentum Parisiense admittens Bullas & Institutiones Patrum Societatis, quae prius communicatae fuerant Episcopo Parisiensi, Decano & Facultati Theologicae, aliisque quorum intererat, decrevit, ut dictae Bullae in libris Parlamenti registrarentur, & Patres Societatis illis uti possent, iis exceptis, in quibus Bulla illa contrariari aut praedictate possent legibus Regni, libertatibus Ecclesiae Gallicanae, Concordatis inter Pontificem & Regem, juribus Episcopalis & Parochialibus, in quorum praedictum nullis Bullis, Indultis, aut privilegiis uti possent. Haec latius cum modificationibus ac conditionibus admissioni adjectis videri possunt relata in Actis Cleri Gallicani *Tomo 1. tit. 2. cap. 14.*

Similiter Philippus II. admittens dictos Patres Societatis in hisce Belgicis Provinciis, litteris admissionis hanc clausulam adject, quod Socii illius Societatis se non poterunt ingerere exercitio ullius rei spectantis ad Officiam Pastoralis sine scitu, consensu & beneplacito tam Curatorum, quam Episcoporum & aliorum Ordinariorum, quibus auctoritas competit.

XV. Quin & monet Carolus Fevretius *Lib. 2. De Abusu cap. 1. num. 12.* Praedictam clausulam admissioni Patrum Societatis adjectam, adjecti generaliter omnium Regularium utriusque sexus admissioni.

XVI. Tomo 1. Libertatum Ecclesiae Gallicanae *Cap. 32. num. 8.* refertur admissio Patrum Oratorii ad civitatem Rothomagensis anno 1616. cui per Senatum Regium praeter dictam clausulam generalem, adjectum fuit, quod dicti Patres, nullam publicam functionem faciant in suo Conventu aut Ecclesia diebus Dominicis & Festis solemnibus, illis horis quibus divinum officium in Ecclesiis Parochialibus celebratur; ne Parochiani a solita officiorum illorum Parochialium frequentatione abstrahantur. Deinde quod non administrabunt Sacramenta etiam Penitentiae ulli illorum Parochianorum, nisi de consensu Ordinarii, vel licentia Parochorum: neque ulla Parochorum jura occupabunt: Quod nullus hujus Congregationis poterit disponere de suis bonis mobilibus aut immobilibus in favorem Congregationis, sive per testamentum sive inter vivos de ampliore portione, quam uni ipsorum haeredi cedere possit, idque sub poena nullitatis.

XVII. Anno 1664. cum ageretur de admissione Patrum Recollectarum S. Francisci ad oppidum & territorium De Eccloo Diocesis Brugensis initum fuit concordatum inter Pastorem, Clerum, & juratos Ecclesiae Parochialis Rectores ex una, & Patrem Provincialem nomine sui Ordinis ex altera partibus: desuper etiam praevide auditis & interpellatis Dominis Ballivo, Burgimagistris & Scabinis praefati oppidis, conclusumque concordatum in palatio Episcopi Brugensis 19. Januarii 1664.

In hoc concordato inter caetera articulis 7. 8. 9. habetur: Similiter non licebit praedictis Patribus Recollectis celebrare Missam vel quodcumque aliud Officium, nec concionari, aut Sodalitatem habere eo tempore quo in Ecclesia Parochiali fiet vel matutina vel Summa Missa, Concio, Professio, Officium Vesperarum vel Laudis, uti nec Missam cantare Dominicis & Festis, nisi finita Concione seu Catechismo, qui pro tempore fiet in dicta Ecclesia Parochiali, neque ante horam undecimam auditam, ad quam tamen ad quadrantem antea poterunt pulsare, concionari etiam non poterunt in sua Ecclesia tempore matutinae no Dominicis & Festis, nisi forte in Festis S. Francisci, Portiunculae & Patroni. Quodcumque ab hora octava usque ad undecimam contigerit per peregrinos aut adventantes Patres celebrari aliquam Missam in Ecclesia PP. Recollectarum, non poterit ad eandem Missam praevide pulsari. Non poterunt etiam in Ecclesia PP. Recollectorum (omissa Parochiali) celebrari solemniter Missae Concionum, fraternitatum, Opificum & aliarum ordinari in Parochiali celebrari consuetae.

Item art. 13. Nullo modo populum directe vel indirecte divertere poterunt a supradicta Ecclesia Parochiali, sed hortabuntur ut illam diligenter frequentet, Missae solenni, aliisque Officiis & Concionibus ac Catechismo ibidem interfit, proprio Pastori debitum honorem, reverentiam ac obedientiam impendat, illicque ad minus semel in anno, idque circa Festum Paschae constitetur, si qui tamen Patribus Recollectis etiam tunc constituti voluerint, audiri ab illis poterunt & absolvi dato aliquo signo per quod Pastori de illorum Confessione constare possit.

Denique art. 17. & 18. Praeterea quia ratione Communionis Paschalis saepe oritur contentio inter Pastores & Clerum Regularem: Rustici etiam alii imperiti decipiunt.

„piumtur, dum putant se præcepto Ecclesiæ apud Regula-
res satisfacere posse, non licebit Patribus Recollectis intra
quindenam Paschalem Venerabile publice in sua Ecclesia
exponere, nec etiam privatim Sacram Synaxim admini-
strare, nisi illis, quos constabit prævidi in Parochia satisfacere
cille. Sicut nec ægrois privatim & in occulto, neque pu-
blice, nisi de consensu Pastoris, & eo impedito Sacram Sy-
naxim deferre poterunt.

Eodem Concordato plura continentur, quibus jura pa-
rochialia tam circa sepulturas Parochianorum, & officia &
jura funeralia, quam processiones conservantur, de quibus
suo loco dicetur.

Cumque super observantia hujus concordati quæstio
orta esset inter Pastorem dictæ civitatis & Patres Minores
Recollectas, per sententiam Vicariatus Brugensis vacante
Sede Episcopali 6. Octob. 1683. mandatum & injunctum
fuit dictis Patribus, ut præcisè & punctualiter præfatum ip-
forum concordatum, & contractum admissionis observent;
nec non virtute illius inhibitionis ipsis, ne Missam celebrent
diebus Dominicis & Festis ab octava usque ad undecimam,
etiam si in Ecclesia Parochiali nullum officium fiat; nisi casu
peregrini aut adventantes eo venirent, cum ii absque præ-
vio pulsū tum excipiantur.

XVIII. Frequens quoque modificatio adjicitur, præ-
sertim admissioni Ordinum Mendicantium, circa nume-
rum Fratrum recipiendorum, vel etiam modum & limites
quæstionandi; item quantitatem bonorum acquirendorum.

Sic Parlamentum Rothomagensis admittens Fratres Mi-
nores vulgo *Recollectas* Gasconum, quæstionandi facultatem
restrinxit ad ipsam civitatem ejusque suburbium *Fevret*.
Tract. De abus. l. 2. c. 1.

In admissione PP. Minorum S. Francisci ad civitatem &
territorium Turnhoutanum Diocesis Antverpiensis, cau-
tum fuit, ut numerus eorum tantum 3. aut 9. esset; quod-
que tantum esset eorum Conventus quasi quoddam refu-
gium cui dumtaxat præfesset *Vicarius* à Guardiano Heren-
talenii omnino dependens; ipsique Fratres nullatenus essent
oneri ipsi Communitati, neque Ecclesiæ Parochiali in ali-
quo præjudicarent; quin & sua divina Officia peragere de-
berent in Ecclesia Parochiali; neque ipsi Capellam, multo
minus Ecclesiam habere possent; sed ad summum altare
portabile usque ad revocationem. Ut latius exprimunt Acta
admissionis die 23. Januarii 1652.

Senatus Burgundiæ anno 1610. in conformitatem littera-
rum Regis, consensu Episcopi Cathalonensis, & Magistrat-
us ac Incolarum Civitatis, admittit Fratres Montis Carmeli
ad civitatem Cathalonensem sub expressa conditione, quod
quæstionare non possent, ut refert *Fevretius* loco citato.

XIX. Parlamentum Divionense admittens litteras Re-
gias obtentas per *Utilinas* Cabilonenses in Martio an. 1620.
& ut in conformitatem earum construeretur Conventus
Utilinarum in dicta civitate ad instructionem & eruditio-
nem puellarum, has condiciones adjecit; quod Conventus
construi non posset in veteri civitatis parte, neque ipsæ Ur-
silinæ mendicare possent; quod prius quam domicilium fige-
rent, ostenderent ipsi Magistratui Civitatis, quod haberent
in capitalibus quinque millia librarum Gallicarum. Non
posset recipere in suum conventum puellas habentes pa-
trem & matrem sine horum consensu; neque puellas paren-
tibus orbatas sine consensu Tutorum vel Curatorum:
Quodque nulla harum puellarum habentium liberam re-
rum suarum dispositionem, si habeat 12. millia librarum,
possit dare Conventui plus quam tria millia, & si minus
quam 12. millia librarum Gallicarum in bonis habeat, ne-
queat dare ultra quartam partem; idque dumtaxat quous-
que dictus Conventus fuerit constructus, & dotatus usque
ad 4. millia florenorum; quo casu nihil poterunt à puellis
accipere præter pensionem aliquam vitalitiam morte eam-
rum extinguendam.

Ita refert *Carolus Fevretius* loco citato; qui testatur in

particularibus casibus conformiter ad jam dictum Arrestum
non semel judicatum fuisse.

XX. Si quis Regularium utriusque sexus admissiones
scrutari velit, reperiet, tum in litteris Regis, tum etiam in
concordatis cum Capitulis, Magistratibus, & Parochialium
Ecclesiarum Curatis & Magistris initis, similes passim condi-
tiones & modificationes fuisse additas; at illas experientia
docet, lapsu temporis, conditiones & modificationes negli-
gi; atque ex illo neglectu incommoda, quibus per illas
restriciones occurrere posse credebatur, plura indes otiri, in
grave sæpe populi atque Ecclesiarum, præsertim Parochia-
lium gravamen & nocumentum; adeo ut non raro factus es-
set, novorum Conventuum extruccionem non admittente,
quàm hujusmodi modificationibus, & conditionibus, con-
cordatisque, futuris incommodis velle occurrere.

XXI. Ad hæc in admissione novorum Conventuum
merito attenditur, num in ordine illo Regularis disciplina
sit integra; an verò non ita collapsa, ut nisi prius in suum
primævum statum restituatur, potius expediret numerum
Conventuum atque Religiosorum diminui, quàm multi-
plicari.

XXII. Ita Sacra Congregatio sub Urbano VIII. die
14. Junii 1628. & die sequenti Fratrum Minorum de ob-
servantia S. Francisci familia Cismontanæ consultationibus
præposita, volens, quantum potest in Domino ipsorum po-
stulatis satisfacere circa Novitios ad habitum & professio-
nem admittendos; Sanctitate suâ approbante, censuit, tunc
demum esse illis permitendum, ut Novitios recipiant, cum
constiterit ex ipsorum Conventibus eos fuisse *abusus*
omnes, qui Regula S. Francisci observantia adversantur,
Fagnanus ad Cap. NIMIS PRAVA De Excess. Pralat. m.
ss. subjiciens ibidem abusum, quos S. Congregatio emenda-
tos volebat.

Memini rursus ejusdem resolutionis idem *Fagnanus* ad
Cap. CUM VIRUM De Regularib. num. 50. Additque,
ab eadem Congregatione decretum fuisse, „ut Fratribus
ad certum numerum decedentibus, illorum Conventus
traderebantur Fratribus *Reformatis* seu *strictioris* obser-
vantia ejusdem Ordinis, à quibus tantum reciperentur
Novitii. „Et in hujusmodi prohibitione multos annos per-
duratum est. „Et utinam, ait *Fagnanus*, paulò diutius perse-
veratum fuisset: nam ubi numerus fratrum reformationis
multum excrevisset, pauci in familia superfluitates deposita
jam spe vestiendi Novitios, & majores dignitates, asse-
quendi, facile ad reformationem transissent. Atque ita
nulla esset in Religione divisio, vel scissura, sed tota ad
primum institutum, & regulæ puritatem redacta fuisset.
Verùm fratribus reformationem pollicentibus, tandem
oportuit illis ad vestiendos Novitios aditum aperire. Do-
cuerunt enim ordinariorum attestacionibus, se adimple-
visse condiciones sibi præscriptas, & legatis annuis in Cu-
riis Episcopalis solemniter renuntiasse. Et sic tributa fuit
illis licentia vestiendi usque ad certum numerum in singu-
lis provinciis præfinitum. Nobis tamen quantum per mo-
destiam licuit *semper reluctansibus*.

Memini etiam, pergit ibidem *Fagnanus*, Regem Chri-
stianissimum superioribus annis supplicasse S. D. N. ut
in regno Galliarum de cætero non vestirentur Novitii nisi in
Religionibus in quibus *verè* servatur regularis discipli-
na juxta primævum institutum: quod tamen et si Sanctissi-
mum foret, nihilominus magnopere hæsitatum est, ne pro-
hibito tam generalis magnos motus excitaret, ita ut
diu postea sustineri non posset, cum tamen factus sit legem
non condere, quam conditam protinus abrogare. Multo
securius & fructuosius hæc præstari possent in generali
Concilio, quemadmodum factum legimus in Concilio
Lugdunensi sub Gregorio X. ut patet ex *Cap. UNICO De*
Relig. Dominibus lib. 6.

TITULUS XXV.

De Admissione ad Religionem & Novitiatu.

CAPUT I.

Qualiter probandus admittendus ad Religionem?

1. Multum nocet disciplina Regulari præceptis & incon- siderata admissio ad Religionem. (circa.)
2. Nec tantum Religioni, sed & ipsi intrantibus est no- tum.
3. Quam probationem requirit Regula Benedictina?
4. Similem requirit Clemens VIII.
5. Quanto tempore & circa qua postulans examinari debeat priusquam ei impressus annuatur.
6. Postulans aliquo tempore in Cella Hospitii probandus.
7. Hi probandi modi an semper adhibendi?
8. Semper diligenter probandus.



Ubi collabentis collapsæque Monasticæ
discipline causas propius atenderit,
haud difficulter intellet, unam è præci-
pui esse, præcipitem ac improvidam ad
Religionem admissionem.

Hinc quippe contingit, ut inepti, at-
que Religionis Monasticæ spiritu vacui, imo mundi adhuc
spiritu turgidi in Monasteria irrepant, qui tum reliquos in-
ficiant; tumque omnem Monasticam disciplinam ener-
vent; quin & evertant.

II. Neque ipsi Ordini dumtaxat nocet hæc indiscreta &
præceptis ad Religionem receptio, sed ipsis quoque ita ad-
missis periculosa est, & plurimum nociva esse solet.

Dum enim sine serio examine discussioneque admittun-
tur, sit ut sibi ipsis haud sat cogniti, neque de vita Religiosa
satis instructi, eam vivendi institutionem amplectantur, ad
quam postea experiuntur, se revera à Deo vocatos non fuisse;
neque eas animi corporisque dotes & qualitates habere,
quæ huic vitæ instituto ritè obeundo sunt necessariae, dum
interim votorum suorum vinculis ad eam vivendi rationem
constituti, in eo vitæ instituto, non raro maximo cum renisu
ac salutis periculo continuare tenentur. Quæ inde anxietas,
gemitus, & pejora ex illis resultantia incommoda sequan-
tur, quotidiana experientia nimium probat.

Mirum ergo videri nequaquam debet, si prima Patrum
cura semper fuerit, ut super vocatione, moribus, animi cor-
porisque dotes ad Religionem admitti postulantium se-
rium examen institueretur.

III. „Noviter veniens quis ad Religionem (ait S. Bene-
dictus *cap. 58. S. Regula*) non ei facile tribuatur ingres-
sus, sed licet ut ait *Apostolus*: *Probate spiritum si ex Deo est*.
Id est, utrum spiritus, quoad vitam religiosam amplecten-
dam ducitur, verè ex Deo sit: utrum ad Religionem impel-
latur, ut Deo liberius serviat; suamque salutem securius o-
peretur; an non potius alicujus temporalis commodi ad-
piscendi, aut incommodi evitandi motivo impellatur; nihil-
que humani respectus sese immisceat.

IV. Sancti Benedicti tot Monachorum Patris vestigia
prementis Clemens VIII. in Decretis pro Novitiorum re-
ceptione §. 23. mandat, ut „Superiores *diligenter inqui-
rant*, quo spiritu, qua mente ac voluntate id Regularis vi-
tæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num
zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo libe-
rius famulari possint, an potius levitate, vel humano ali-
quo affectu, aut inordinato animi motu ducantur. „In Bul-
lario *R. parte 3. pag. 128.* dixerat jam ante §. 19. ipse
Clemens, compertum esse; „nihil ad gravem illam ac lau-
dabilissimam præcorum Patrum vivendi rationem rela-
tam, majorem vim habuisse, quam vel nimiam in
recipiendis Novitiis facilitatem supra numeram quem
Van Espen Jur. Eccl. P. 1.

capere atque alere monasteria ipsa possent; vel *negligen-
tiam in probando & examinando* eorum spiritu, an
verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi in-
serviendi; vel denique incuriam in eis educandis atque in-
stituendis.

De modo & tempore, quo hoc examen institui de-
beat, non una fuit omnium Patrum & temporum disci-
plina.

V. Sanctus Benedictus post citata verba modum &
tempus probationis subiungens ait: „Ergo si veniens per-
severaverit pulsans, & illatas sibi injurias & difficultates
ingressus, post quatuor aut quinque dies vilis fuerit pa-
tienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei in-
gressus.

Primum ergo examen institui vult S. Benedictus super
vocatione postulantis ingressum per illius humilitatem; ut
ex illa appareat, num aliquousque in spiritu humilitatis pro-
fecerit; ac se ut reum seu penitentem & vilem tractari &
despici sustinere possit: quæ dispositio ad statum Monasti-
cum, qui status est humilitatis & penitentia, cum primis
necessaria est. Unde & in omnium Patrum regulis, su-
per hoc spiritu humilitatis primum examen institui man-
datur.

VI. Post hoc examen annuatur quidem ei ex præscri-
pto Regulae Benedictinae *ingressus*; sed, at nequaquam ad Cel-
lam *Novitiorum*; sed, ait Regula, *sit in cella hospitum pan-
cis diebus*.

Hic erat quasi secundum postulantium examen. Quid
verò facere deberet *noviter* veniens in cella hospitum, S.
Benedictus non declarat; sed id ex aliorum Regulis facile
eruitur.

Auctor Regulae Tarnatensis habet: „Uni de Seniori-
bus deputatus tam diu jubeatur adventibus deservi-
re, quousque devotio ejus fuerit patientia teste mon-
strata. „Et S. Fructuosus *cap. 21.* „Hospitibus, sive pere-
grinis stramina comportabit, aquam pedibus lavandis ca-
lescens.

Hæc ergo in cella hospitum mora instituta videtur, ut
interim in mores & actiones ipsius noviter venientis adver-
teretur; atque hinc major de ejus spiritu ac vocatione cer-
titudinem haberi possit. Unde S. Isidorus *cap. 4. Regula* ait:
„*Vitam* enim uniuscujusque in *hospitalitatis* servitio tri-
bus mensibus *considerari* oportet: quibus peractis ad cœ-
tam sanctæ Congregationis accedat. Neque enim suscipi-
intus quemquam convenit, nisi prius foris positus ejus hu-
militas sive patientia probetur.

Verbo, hujus ac præcedentis examinis probationis scopus
est, ut noviter venientium spiritus, ac vita aliquousque sit
perspecta, priusquam ad Congregationem, ac intra Mona-
sterium eum novitiis admittantur.

VII. Proinde non sine fundamento jam pridem susti-
nuit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, S. Benedi-
ctum hoc suæ Regulae præscripto, solam præcipitem ac tem-
erariam postulantium admissionem improbare; neque
vetare alicujus ad Religionem, sine hujus ritus observan-
tia, admissionem; si modo factus de ejus vocatione constet, & ad-
missionem salutem ejus conducere sat appareat. *Lib. 1. epist. 28.*

VIII. Quare S. Basiliius multa circa examen recipiendorum
differens, omnia ad unum hoc reducit; quod oporteat
inquirere de præterita vita & conversatione: *ne forte simu-
lata quis mente, & fallaci animo ad Religionem accedat*.
In regulis sus. disp. *Interrog. 10.*

His consonant Patrum Eremitarum S. Augustini Con-
stitutiones *parte 2. cap. 2.* „Si quis in Ordine nostro
R. „reci-